



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rosa In Hieme

Mertz, Martin

Antverpiæ, 1627

Qvinto Kal. April.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42750

QVINTO KAL. APRIL.



N Rothensi Sueviæ Cœ-^{28. Martij.}

nobio ¹ sanctæ memoriæ
VVILHELMII eiusdem
Ecclesiæ Canonici Ordi-
nis Præmonstratensis. Qui


ab ipsis tenerioribus annis, miro pie-
tatis ardore succensus, quò vberiore
in sanctitate progressum faceret, in
Candida S. NORBERTI familia
CHRISTI iugo collū subdidit: in ea-
que ² per austeræ pœnitentię rigorem,
³ per indefessum mortificationis stu-
dium, ⁴ per inuictæ patientiæ mirabi-
les triumphos, adeò eximiam mentis
& corporis consecutus est puritatem,
& vitæ innocentiam; vt ⁵ gloriosissi-
mæ Dei Matri, & sanctis Angelis fa-
miliaris, eorum visibili in terris appa-
ritione subinde recreari meruerit; sed
super omnia æternæ Dei Sapientiæ
gratisimum præbuerit habitaculum:
quæ non solùm viuis eum interiùs

G 2

suc-

succendit diuini amoris sui flammis; sed & exteriùs in tribulationum fornace adeò eum excoxit, vt purissimū spiritum suum, 6 per mortē pretiosam (quæ illi per Angelum reuelata est) in manus sui Creatoris placidissimè exhalarit: qui nunc in eo misericordias suas æternâ gloriâ coronauit.

NOTATIONES.

I.  ANCTÆ memoriæ VVILHELMI.] *Etsi in omni operatione sua æterna Dei Sapiētia attingat à fine vsque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter; in reuoluendis tamen Sanctorum historijs notamus, eandem in aliquibus eorum conuertendis magnitudinem brachij sui declarasse, & peculiariter notam fieri voluisse fortitudinem efficacis gratiæ suæ: vt in S. VVILHELMO Eremita per S. Bernardum ex persecutore & magno peccatore mirabiliter conuerso, cuius in 1 V. Idus Februarij felicissimus Natalis incidit. In nonnullis verò Sanctorum, quos ab ipsis tenerioribus annis prauēnit in benedictionibus dulcedinis, eiusdem gratiæ suæ suauitatem specialiter manifestauit: quod in sanctæ memoriæ VVILHELMO Rothensis Ecclesiæ Canonico, cuius hīc Natalem illustrandum suscepimus, obseruare est. Ille namque in sacro Premonstrati Ordinis viridario, propter insignem animi puritatem & innocentiam,*
caelestis